



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. An homo in statu naturæ lapsæ possit sine gratia, seu speciali
auxilio, omnes veritates naturales, tam speculativas, quàm practicas
cognoscere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

DISPUTATIO PRIMA

De Necessitate Gratiae.

Ad quaestionem 109. Divi Thomae.

ANTequam ad litteram D. Thomae accedamus, & disputationem istam aggrediamur, quatuor breviter hic praemittenda sunt. Primum est, S. Doctorem in titulo qu. 109. appellare gratiam, principium exterius humani actuum, non inhaesivè, sed egressivè: quia licet ponat aliquid in anima, vel per modum habitus, ut gratia sanctificans, vel per modum morionis, ut gratia auxilians, illud tamen ex intraneis naturae non emanat, sed ab exteriori principio, Deo scilicet, ut operante supra totius naturae exigentiam, procedit: sicut lapis dicitur moveri à principio extrinseco, quia licet impulsus illi inhaereat, tamen à principio exteriori causatur.

Secundum est, nomen gratiae, significari dona gratis & liberaliter à Deo collata: unde quia illa triplicis generis sunt, triplex etiam est gratiae acceptio & significatio: una larga & impropria, quae comprehendit quodcumque beneficium à Deo nobis gratis & liberaliter concessum, sive ad naturam pertineat, sive supra naturam sit: unde Patres sextae Synodi, actione 11. in Epist. ad Sophronium, Angelorum immortalitatem, licet ipsis connaturalem, nomine gratiae afficiunt: & Augustinus Ep. 95. & 105. observat rerum creationem & conservationem, gratiam vocari posse; quia gratis & liberaliter à Deo conceditur. Hanc gratiam non negavit Pelagius: imò Patres Concilii Palæstini fessellii, concedens necessitatem gratiae ad opera salutaria, sed gratiae nomine dolose beneficium creationis intelligens, ut in Tractatu praecedenti declaravimus. Alia acceptio gratiae est magis propria, & non se extendit ad quodcumque donum, in creatione gratis & liberaliter à Deo concessum, sed duntaxat ad dona aliqua naturalia, omnino indebita, quale in statu innocentiae fuit donum integritatis, & cuiusmodi etiam sunt in statu naturae lapsae auxilia quaedam intra ordinem naturae specialia, quae dantur ad aliqua opera difficilia & heroica ordinis naturalis exercenda, ut infra patebit. Tertia demum est maxime propria, & significat solum dona & beneficia supra totum naturae debitum nobis per Christum exhibita, in ordine ad nostram salutem; & haec est propria & theologica gratiae consideratio, de qua in hoc Tractatu acturi sumus, quamvis interdum de gratia secundo modo accepta mentionem sumus facturi, praecipue disputatione sequenti.

Tertio observandum est, gratiam propriissime dictam, ob diversa munia quae exhibet, quinque praecipue nominibus insigniri: vocatur enim elevans, sanctificans, sanans, movens & auxilians. Dicitur elevans, quia elevat hominem ad ordinem supernaturalem; vel per modum habitus, ut gratia habitualis, & virtutes infusae; vel per modum dispositionis, ut auxilium collatum ad actum contritionis. Vocatur sanctificans seu iustificans, quia animam mundat à peccato, & Deo totius sanctitatis & puritatis fonti conjungit. Appellatur sanans, quia potentias animae per peccatum

deordinatas, lasas, & debilitatas, ordinat, sanat & reedificat. Dicitur movens, quia animam movet & applicat ad actus supernaturales eliciendos. Denique, adjuvans, seu auxilians nuncupatur, quia hominem adjuvat, eique vires & auxilium praebet ad operandum, & ultimum finem obtinendum: unde quidquid in nobis est sanctitatis, pietatis, virtutis, salutis, iustitiae & meriti, totum illi debemus, juxta illud Apostoli, Gratia sum id quod sum.

Denique observandum est, quod S. Doctor ad probandum gratiam esse, ostendit illam necessariam esse: quia sicut in naturalibus divina providentia non deest in necessariis, ita nec deest in supernaturalibus; & ideo si gratia est necessaria, bene sequitur quod Deus eam conferat. Priusquam vero agat de necessitate gratiae ad attingendum bonum, vel vitandum malum, disputat de ejus necessitate in ordine ad cognitionem veritatis: quia veritatis cognitio ad volitionem boni, & rectam operationem requiritur. Unde sit

ARTICULUS PRIMUS.

An homo in statu naturae lapsae possit sine gratia, seu speciali auxilio, omnes veritates naturales, tam speculativas quam practicas cognoscere?

S. I.

Quibusdam praemissis, referuntur sententiae.

Notandum primò, veritatem aliquam dupliciter dici naturalem: Primò ex parte rei, ut cum consistit in ipsis rebus naturalibus, cujusmodi sunt Deus ut author & finis naturae, & omnia quae ordinantur ad istum finem, & finem supernaturalem nullo modo respiciunt: Secundò ex parte mediū aut luminis quo cognoscitur, ac cum cognosci potest lumine naturali nostri intellectus. Et quia hoc lumen est tantum sufficiens ad ea objecta cognoscenda, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire; ideo illae tantum veritates dicuntur hoc modo naturales, quae ex sensibilibus cognosci possunt, ut docet D. Thomas hic art. 1. Praesens ergo difficultas procedit solum de veritatibus naturalibus hoc posteriori modo: nam ex his quae dicuntur naturales priori modo, certum est multas non posse cognosci ab homine viribus suae naturae, ut patet de cogitationibus cordium, de futuris contingentibus, de praeteritis quae nullum sui vestigium reliquere, & de his quae sunt intra orbem coelestes, aut quae latent in visceribus terrae, vel in profundo maris, quae naturaliter sunt abscondita nobis propter impedimentum physicum quod habent ne obiciantur sensibus nostris.

Notandum secundò, veritates naturales, sive ex parte rei, sive ex parte mediū, subdividi in spe-

speculativas & practicas: speculativæ dicuntur quæ non pertinent ad operationem, sed solum ad cognitionem; practicæ verò, quæ ordinantur ad operationem, vel movendo ad eam vel ipsam dirigendo; unde dicitur quod intellectus speculativus, extensione fit practicus.

7 Notandum tertio, veritatem practicam tripliciter posse cognosci: Primum in universali, ut v.g. succurrendum est egenis, furtum est fugiendum, &c. Secundò in particulari, ut v.g. hic & nunc succurrendum est huic egeno: Tertio cum imperio efficaci intellectus practici, ut v.g. nunc succurre ipsi. Non agimus hic de veritatibus practici primi generis, quia istæ pertinent ad Philosophiam moralem, & de his est eadem ratio ac de speculativis; nec de veritatibus practici tertii generis, cum enim opus voluntatis sit necessarium cum huiusmodi imperio efficaci intellectus conjunctum, sic cognoscere verum practicum, idem est ac velle & operari bonum morale, de quo art. 3. dicemus: loquimur ergo solum de veritatibus practici secundi generis.

8 Notandum quarto, veritates, tam speculativas, quam practicas, posse in presenti dupliciter considerari, divisivè nimirum, considerando unam vel aliquas seorsim ab aliis, vel collectivè, totam ipsarum collectionem attingendo, seu nullas ab aliis separando.

9 Notandum quinto, duplicem solere distinguere potentiam: Unam physicam, quæ attenditur penes proportionem & commensurationem ad actum, abstrahendo à difficultatibus, occupationibus, impedimentis, &c. Alteram moralem, quæ non solum dicit proportionem ad actum vel objectum, sed etiam carentiam omnium impedimentorum, quæ possunt eam prohibere ne exeat in actum, vel saltem ne ita promptè & expedite operetur; v.g. homo sanus & liber à vinculis seu compedibus, censetur habere non solum potentiam physicam, sed etiam moralem ad ambulandum; ille vero qui laborat podagra, aut compedibus detinetur, physicè quidem potens est ad ambulandum, non tamen moraliter, quia non est liber ab impedimentis.

10 Notandum sexto, quod quando querimus, an homo in statu naturæ lapsæ possit cognoscere veritates naturales sine gratia, loquimur de gratia actuali, sive auxiliante, non verò de habituali, seu sanctificante; quia manifestum est talen gratiam ad cognoscendas veritates naturales non esse necessariam, cum Aristoteles, Plato, & alii Philosophi Gentiles, eam privati, plures veritates naturales, de existentia & unitate Dei, alii quæ ejus attributis, ex creaturis agnoverint, juxta illud Apostoli ad Romanos 1. Quod notum est Dei, manifestum est illis, invisibilia quippe, &c. unde cum Augustinus 1. Soliloq. cap. 2. dixisset; Deus qui non vult mundos scire voluisti: hoc retrahit libro 1. Retract. cap. 4. quia, inquit, responderi potest, multos etiam non mundos, multa scire vera, ut etiam refert D. Thomas hic art. 1. in argum. sed contra.

11 Demum observandum est; quinque à Theologis solere distinguere status naturæ humanæ, nempe statum naturæ puræ, naturæ integræ, innocentie, seu justitiæ originalis, naturæ lapsæ, & naturæ per gratiam reparatæ, de quibus fusè egimus in Tractatu de homine & statibus naturæ humanæ, quem in fine Tomi secundi reperies. His præmissis,

12 Circa resolutionem propositæ difficultatis

A quatuor versantur sententiæ. Prima fuit quædam antiquior, quos suppressi non peferunt & refellit D. Thomas in 2. dist. 28. qu. 1. art. 7. asserentium hominem, in statu naturæ lapsæ, nullam veritatem naturalem sine auxilio gratiæ posse cognoscere. Quam opinionem, jam oblivioni traditam, suscitavit Vazquez hic dist. 188. cap. 2. ubi docet notitiam cujuscumque veritatis naturalis, quæ aliquo modo movet affectum ad rectè vivendum, non posse haberi sine auxilio gratiæ per Christum: quæ verò ad virtutem non movet posse quidem haberi sine ulla gratia Christi, non tamen sine auxilio gratiæ Dei. Illum sequitur Meratius dist. 1. de gratia sect. 2. In eotamen differt Vazquez ad antiquis illis Theologis, à D. Thoma citatis, quod isti indigentiam specialis auxilii ad cognoscendas veritates naturales ex ignorantie vulnere, per originale peccatum humanæ naturæ infecto, peti dicebant; ille verò vult eam provenire, non ex defectu virium, aut vulnere ignorantie, sed ex differentia & contingentia quam habet intellectus, ut moveatur ad hoc potius objectum, quam ad illud.

B Secunda sententiæ tenet posse quidem hominem lapsum solis viribus naturæ cognoscere multas veritates naturales, tam speculativas, quam practicas, non tamen omnes divisivè, quia dantur aliquæ ita difficiles, ut ad eas attingendas specialis gratia requiratur. Hanc tenent Montezino, Granados, & quidam alii ex Recentioribus; & de veritatibus practici, probabilem existimant Curiel, & Martinez.

C Tertia asserit intellectum hominis lapsi posse cum solo concursu generali cognoscere omnem verum naturale speculabile, non solum divisivè, sed etiam collectivè. Pro hac referri solent Durandus in 2. dist. 28. quæst. 1. Cajetanus & Medina hic art. 1. Sed Durandus & Medina id expressè non asserunt de tota collectione veritatum, & intelligi possunt de omni verò divisivè sumpto; Cajetanus verò in eam magis inclinare videtur, cum non agnoscat vulnus ignorantie in intellectu speculativo, sed duntaxat in practico.

D Quarta denique existimat posse omnes istas veritates divisivè ab homine lapsio, abique speciali gratia & illustratione cognosci, non tamen collectivè. Hæc est communis inter Thomistas, quos sequuntur plures ex extraneis.

§. II.

Prima opinio rejicitur.

D¹ primò: Homo lapsus, cum solo concursu generali, & absque speciali gratia, seu illustratione, aliquas veritates naturales, tam ex speculativis, quæ ex practicis, potest cognoscere.

E Prima pars conclusionis probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. ubi sic habet: Ad cognitionem cujuscumque veri homo indiget auxilio divini (id est concursu generali) ut intellectus à Deo moveatur ad suum actum, non autem indiget, ad cognoscendam veritatem in omnibus, nova illustratione superaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam quæ excedunt naturalem cognitionem.

Respondet Vazquez, quod dum D. Thomas asserit hominem non indigere novâ illustratione superadditâ illustrationi naturali ad cognoscendam veritatem in omnibus, vult dicere quod homo non indigeat quidem ad cognitionem cujuscumque veritatis novâ illustratione, sive gratiâ

quæ sit habitualis, & supernaturalis ordinis, nihilominus indigeat auxilio Dei, id est dono speciali gratiæ actualis, naturalis ordinis.

Sed contra: Licet D. Thomas loco citato asserat hominem indigere auxilio Dei ad cognitionem cuiuscunque veritatis, nominatamen auxilii divini non intelligit donum speciale gratiæ actualis, sed generale duntaxat concursum primæ causæ cum omnibus causis secundis: loquitur enim de auxilio Dei communi intellectui, & cæteris agentibus creatis, ut constet manifeste ex eo quod immediatè ante verba citata comparat intellectum humanum cum aliis agentibus creatis, quantum ad indigentiam auxilii divini, quod appellat motionem ad agendum: auxilium autem Dei, commune intellectui & aliis causis secundis, non est speciale, sed generale, ut constat: Asserit ergo S. Doctor intellectum hominis, cum solo concursu Dei generali, absque dono speciali gratiæ, etiam actualis & naturalis ordinis, posse cognoscere aliquas veritates naturales. Quod confirmatur alio ejus testimonio ex 2. cor. dist. 28. quæst. 1. art. 5. ubi loquens de veritatibus naturalibus, sic ait: Dicendum est quod hæc veritas per omni lumine gratiæ superaddito, per lumen naturale intellectus agens cognoscere possit.

Probatur secundo eodem patet ratione quam 16 idem S. Doctor hic art. 1. his verbis insinuat: *Vnaqueque forma, indita rebus creatis à Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem (verbi gratia, Sol ratione luminis sibi naturaliter inditi, potest cum solo generali Dei concursu, titulo creationis cuilibet creaturæ connaturaliter debito, illuminare: Hinc ratione caloris sibi congeniti, calefacere, & sic de aliis) sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad aliquam intelligibilitatem cognoscendam, ad eam scilicet in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire, subindeque cum solo generali concursu, & absque speciali gratiæ potest, etiam in natura lapsa, aliquod ex illis cognoscere, & aliquam veritatem speculativam, saltem ex maximè cognoscibilibus, percipere: alias, ut ait idem Doctor Angelicus in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 3. *Natura humana aliis imperfectior esset, quam non sibi sufficeret in naturalibus operationibus, & intellectiva potentia esset omnium formarum imperfectissima: quod tamen absurdissimum est: omnis enim efficacia seu activitas formæ fundatur in actualitate, ita ut quanto forma fuerit actualior, tanto sit efficacior & activior: atque adeo cum intellectus sit actualior cæteris formis, sicut est magis immaterialis, magis quoque segregatus à potentialitate.**

Confirmatur. Visus non indiget gratiâ ad videndum colorem, lumine Solis illustratum: cur igitur intellectus egebit speciali Dei auxilio ad quodlibet verum, etiam per se notum, cognoscendum: illudque cum solo generali Dei concursu non poterit apprehendere.

18 Respondebis primò, cum Authoribus antiquis primæ sententiæ, intellectum humanum ad quodcumque verum cognoscendum indigere speciali auxilio, quia per peccatum originale fuit vulneratus vulnere ignorantie, & mansit sine ordine ad verum; & in hoc differre ab oculo corporeo, & ab aliis causis naturalibus, quæ per peccatum non sunt vulneratæ, unde non indigent sanari per speciale auxilium, sed cum solo generali Dei concursu in actus sibi connaturales possunt exire.

A Sed contra: Est per peccatum originale lumen naturale intellectus nostri fuerit laum, siue tenuatum, non tamen fuit totaliter extinctum, ut de fide certum est: Ergo cum solo generali Dei concursu potest aliquas veritates speculativas, saltem ex facilioribus & per se notis cognoscere. Patet consequentia: nam lumen attenuatum, etsi non intense, potest tamen lucere, & homo ægrotus potest aliquos passus elicere, etsi non sicut homo sanus: item potest aia visiva, quantumcumque læsa & debilitata, dummodo non sit totaliter extincta, potest absque speciali auxilio Dei videre aliquod objectum, saltem ex maxime omnium visibilibus.

B Respondebis secundo cū Vazque & Meratio, intellectum humanum non indigere auxilio speciali ad cognoscendas veritates naturales, ex eo quod fuerit læsus, seu debilitatus per peccatum originale, sed quia ad verum & falsum indifferens est, unde quod determinetur ad verum potius quam ad falsum, est specialis gratia conditoris.

Sed contra: Intellectus noster, quantum ad suam primariam inclinationem, est quoad specificationem determinatus & propensus in verum sibi proportionatum, & sic falsitas est contra ejus naturam, sicut peccatum supra quæst. 71. dicitur esse contra naturalem inclinationem hominis: unde aliquando est ei debitum auxilium, non solum sufficiens, sed etiam efficax, ad exercitum alicujus cognitionis circa veritatem.

C Dices cum Vazque: Est intellectus noster secundum suam primariam inclinationem sit ad verum propensus quoad specificationem, tamen quoad exercitum indifferens sit ad hoc vel illud verum, unde quod determinetur ad hoc, gratia specialis est.

Sed contra: Eo ipso quod intellectus quoad specificationem sit determinatus ad verum, debitum est ei concursus generalis ad aliquando verum attingendum; sicut igni debitum est concursus generalis ad calefaciendum, quia quoad specificationem determinatus est ad calefaciendum, & ceterum in exercitio indifferens sit ad hoc vel illud combustibile; cum hac tamen differentia, quod igni debitum est iste concursus generalis in omnibus suis individuis, debito necessitatis: naturæ autem intellectuali, debito proportionis in aliquibus individuis, contingentem; sicut debitum est naturæ intellectuali habere bonum ingenium, non in omnibus individuis, sed in aliquibus: Ergo quod aliquando intellectus humanus à Deo determinetur ad cognoscendam aliquam veritatem naturalem & sibi proportionatam, specialis gratia Dei conditoris dici non debet, sed spectat ad generalem gratiam creationis, & ad universalem Dei providentiam.

19 Addo quod ex hac sententiâ Vazque & Meratio sequitur, intellectum sine auxilio speciali valere solum ad falsum, subindeque etiam voluntatem solum valere ad malum, cum illa sequatur intellectum, & nequeat operari bonum, nisi ab eo præcognitum: Sed hoc dici non potest, cum sit damnatum à Pio V. & Gregorio XIII. certas Basilii propositiones proscibentibus, inter quas ista reperitur: *Liberum arbitrium sine gratia & adjutorio Dei, non nisi ad peccandum valet*: Ergo &c. Nec valet si dicas cum eodè Vazquezio, esse medium inter bonum & malum, scilicet indifferens: non, inquam, valet, tum quia in Tractatu de moralitate actuum humanorum hoc impugnatum est.

Diff. 5.
art. 5.

est: ibi enim ostendimus, nullum posse dari actum humanum indifferentem in individuo: Tum etiam, quia licet secundum aliquos respectu voluntatis deus actus indifferentis in individuo, & medius inter bonum & malum, non tamen potest dari actus indifferentis in individuo inter verum & falsum, cum ab eo quod res est vel non est, propositio dicatur vera vel falsa, & inter esse & non esse, utpote contradictoria, nullum possit dari medium.

22 Ex dictis probata manet secunda assertio pars, quæ est de veritatibus practicis & moralibus: nam sicut lumen naturale intellectus speculativi non est totaliter extinctum per peccatum originale, sed duntaxat attenuatum; ita nec lumen naturale synderesis, seu intellectus practici, unde Psalmus 4. dicitur: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; & Apostolus ad Rom. 1. docet legem Dei naturalem scriptam esse in cordibus, seu conscientia omnium hominum, non operatione extraordinaria Dei, seu digito Dei extraordinarie operante (ut scripta erat lex vetus in tabulis lapideis) sed ipsa creatione, seu impressione luminis naturalis. Hinc Chrysostomus homil. 30. in Genes. ait: *In natura nostra insita est scientia boni & mali; nullus igitur prætexit quod ignorans, virtutem negligat, &c.* Ergo homo in statu naturæ lapsæ potest, absque speciali auxilio gratiæ, non tantum aliquas cognitiones speculativas de existentia Dei habere, sed etiam aliquas practicas & morales de ejus lege naturali, de dñtate ex primis principiis synderesis. Consequentia patet ex supra dictis: potentia enim lapsa & debilitata, dummodo non sit totaliter extincta, potest aliquem actum imperfectum elicere, ut supra variis exemplis declaravimus.

23 Confirmatur primò: Paulus ait quod per hanc cognitionem practicam, quam Deus indicit omnibus hominibus, ipsi ibi sunt lex: At si hæc notitia non esset eis naturalis, non essent ipsi sibi lex: Ergo talis cognitio est ex viribus naturæ, non verò ex speciali auxilio gratiæ.

Confirmatur secundò: Potest homo (ut ostenditur art. 3.) aliquid bonum morale naturalis ordinis absque auxilio gratiæ facere: Ergo & illud practice cognoscere in ratione boni, nihil enim voluit, quin præcognitum speculative & practice.

§. III.

Solvuntur objectiones.

24 Contra nostram assertionem objiciunt in primis Adversarii: Homo dicitur à Sanctis Patribus ex peccato originali accepisse vulnus ignorantie & factus esse cæcus: Ergo nihil videre potest in illo statu, nisi illuminetur per gratiam. Unde Gregorius Magnus homil. 11. in Evangelio loquens de cæco quem Christus Lucæ 18. illi minavit: Quis (inquit) juxta historiam cæcus fuisse ignoramus, sed tamen quid per mysterium significet, novimus: Cæcus quippe est genus humanum, quod à parente primo à Paradisi gaudii expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis sue tenebras patitur, sed tamen per Redemptoris sui præsentiam illuminatur, ut internæ lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via viæ boni operis gressus ponat.

25 Respondeo quod homo dicitur factus cæcus per peccatum originale, quia per illud amisit lumen fidei, & scientiæ infusæ, quod in statu in-

nocentia Adam à Deo receperat; unde ut illud recuperet, eget gratia Redemptoris: non autem dicitur cæcus ex eo quod lumen rationis & scientiæ acquisitæ perdidit: sic enim per originale desineret esse homo: quapropter, ut veritates naturales, sive speculativas, sive practicas, cognoscat, non indiget auxilio speciali, sed duntaxat concursu generali.

26 Adde quod vulnus ignorantie, humanæ naturæ per originale infictum, solum convincit, non posse hominem in statu naturæ lapsæ omnes veritates naturales collectivè cognoscere, non verò arguit, ipsum nullam omnino sine speciali auxilio posse attingere: nam, ut supra dicebamus, quævis infirmus & vulneratus, non possit omnia facere quæ sanus facit, potest tamen aliqua, quæ sunt ejus viribus proportionata, præstare.

27 Obijciunt secundò aliqua Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimonia: Apostolus enim 1. ad Corint. 3. ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et Concilium Milevitanum cap. 4. dicit, *utrumque Dei donum esse, scire quid agere debeamus, & diligere quæ debemus.* Item in Synodo Araucana An. 9. sic habetur: *Divini muneris est, cum recte cogitamus.* Et can. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum: Si quid autem habet homo veritatis atque iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus scire in hac vita, ut ex eo quasi guttu quibusdam irrorari, non deficiamus in via.* Denique aliqui Sancti Patres dixerunt omnem nostram cognitionem descendere à Deo Patre luminum, & omne verum, à quocumque dicatur, esse à Spiritu Sancto: Ergo nemo potest veritatem ullam, speculativam, aut practicam, sine speciali Dei gratia cognoscere.

28 Respondeo Apostolum loco citato loqui de cogitatione iustitiæ, id est, ad veram iustitiam & sanctitatem per se conferente; ut ex antecedentibus & subsequentibus liquet, & exponit Concilium Araucanum cap. 7. & August. lib. de prædestin. Sanctorum cap. 2. & de bono per se, cap. 13. ubi ait: *Quod attinet ad pietatem, & verum Dei cultum, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* Similiter Concilia & SS. Patres citati, vel loquuntur de cogitatione aliquo modo supernaturali, & ad salutem per se conferente, quam fatemur non posse haberi sine gratia; vel solum indicant, scientiam & cognitionem veritatum naturalium manare à Deo ut auctore naturæ, & per concursum generalem intellectum movente ad verum intelligendum, ut exponit S. Thomas quæst. 24. de veritate art. 14. in resp. ad argumentum, sed contra, & hic art. 1. ubi sic habet: *Dicendum quod omne verum, à quocumque dicatur, est à Spiritu Sancto, sicut ab infundente naturale lumen, & movente ad intelligendum & loquendum veritatem, non sicut ab inhabitante per gratiam, &c.* Cui interpretationi favet Concilium Africanum apud Augustinum Epistol. 95. ubi ait aliquando nomine gratiæ non incongruè intelligi beneficia naturalia Dei, inclusa in creatione nostra.

29 Dices: Etiam mendacium, seu assensum falsum habemus à Deo ut auctore naturæ, cum enim elicimus viribus naturæ quævis Deus condidit, & concursu generali & ordinatio quem supeditat: Sed Concilium Araucanum ait, nos habere à nobis mendacium, à Deo veritatem: Ergo

Ergo intendit nos illam habere à Deo, ut largitore gratiae, & non tantum ut auctore naturae.

Respondeo negando *Majorer*: sicut enim licet Deus concurrat cum voluntate ad entitatem peccati, ejus tamen malitia ac deformitas non est à Deo movente & concurrente, sed à voluntate creata deficiente, seu disformiter ad regulas morum operante, ut alibi fusè exposuimus, ita licet Deus cum intellectu assensum saltem efficiente concurrat, tamen illa falsitas non oritur ex divina causalitate seu concursu, aut ex vi luminis intellectualis quod habet homo à Deo creatore, sed ex propria defectibilitate, intellectu creati, seu ex defectu majoris luminis quod illi deest. Quod potest hoc exemplo illustrari: si quis in locum tenebrorum inferret tenuem lucem, quā illatā locus maneret ex parte illuminatus, & ex parte obscurus & tenebrosus, tunc deberet dici quod quidquid habet claritatis locus ille, habet ab eo qui lucem intulit, quod verò restat in illo obscuritatis, habet à se, seu ex defectu majoris luminis quod illi deest. Sic creatura rationalis ex nihilo orta, quidquid habet veritatis, virtutis, sapientiae, & sanctitatis, habet à Deo, vel ut largitore gratiae, vel ut auctore naturae, quidquid verò habet defectibilitatis in cognoscendo aut volendo, habet à se, veluti reliquias sui nihili, unde olim Deo dicebat humilis & pius Augustinus: *ignosce quod meum est, agnosce quod tuum est.*

Obijciunt tertio: Possumus Deum orare pro auxilio ad quodecumque verum cognoscendum requisito, & de illo obtento ipsi gratias agere: Ergo illud non est generale, sed speciale. Antecedens patet ex communi praxi si delinquit, nemo enim imprudentiae damnat, quoniam videt tale auxilium à Deo petere, & pro eo obtento gratias illi exhibere. Consequentia verò probatur ex Augustino Epist. 95. ubi ait: *Oratio est clarissima gratia restitutio.* Et Epistola 107. dicit gratiarum actio est certissimum signum beneficii gratiarum.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: possumus enim pro auxilio generali Deum orare, & de eo obtento ipsi gratias agere, quando habet aliquid contingentiae & fallibilitatis; nam ob talem contingentiam habet rationem beneficii, non specialis, quia debitum est, sed generalis, quia contingens est, & ex parte eventus fallibilitatem habet: quapropter oramus Deum pro pluvia, serenitate, frugibus terrae, & illis obtentis, gratias agimus illis quā licet pertineant ad providentiam generalem, tamen contingentiam & fallibilitatem habet ex parte eventus.

Dices primo: ex hac responsione sequitur, concursum ad materiale peccati esse beneficium Dei; siquidem connotat aliquid contingentiae & fallibilitatis.

Sed negatur sequela: quia omne quod datur contingentiter aut fallibiliter, non est beneficium, si aliunde non sit commodum & utile recipienti, nec cedat in bonum ipsius: quod non habet concursus ad materiale peccati.

Dices secundo: D. Augustinus, locis citatis, ex oratione, & gratiarum actione inferbat necessitatem gratiae specialis, non verò solum auxilii generalis agebat enim contra Pelagianos, qui non negabant gratiam generalem ad donum creationis pertinentem, sed specialem, & à dono creationis distinctam: Ergo ex eo quod fideles à Deo petant auxilium ad quamcumque ve-

ritatem cognoscendam, & de eo obtento ipsi gratias agant, recte colligitur, non solum generale, sed etiam speciale auxilium, ad quamcumque veritatem cognoscendam requiri.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: licet enim ex oratione applicata ad res excedentes donum creationis, & efficiatiam naturalium virtutum, recte inferatur necessitas gratiae specialis; & hoc modo S. Augustinus ex oratione recte probet contra Pelagianos, specialem gratiam esse necessariam ad relegendum à peccato, & ad bene operandum in ordine ad vitam aeternam, quia haec vires naturales excedunt: tamen ex oratione ut sic, non inferatur gratia strictè sed lato modo sumpta, pro quolibet beneficio Dei; quia illa potest applicari ad res ordinis naturalis, seu ad generalem Dei providentiam pertinentes, quando aliquid contingentiae & fallibilitatis habent, ut in exemplis supra adductis patet.

Obijciunt quarto: Dicit potest de quacumque cognitione veritatis, quod potuit homo, salva sua creatione, & providentia Dei generali, ea carere: Ergo quod eam de facto assequatur, specialis gratia conditoris est, & non solum beneficium generale, ad donum creationis pertinens. Consequentia videtur bona: Antecedens probatur. Potuit Deus ita universum instituire, & ita disponere causas secundas, ut ex naturali earum cursu & operatione, in homine qui aliquando verum assequitur, semper error atque deceptio sequeretur; unde quod reipso ita disponatur, ut hominem in vera cognitionem aliquando ducant, ad indebitam & specialem Dei providentiam, subindeque ad gratiam specialem à dono creationis distinctam, referendum esse videretur. Ergo potuit homo, salva sua creatione, & providentia Dei generali, cujuscunque veritatis cognitione carere.

Respondeo primo, negando Antecedens: ad ejus probationem dicendum est, quod licet Deus de potentia absoluta talem ordinem & cursum causarum secundarum instituire potuerit, non tamen de potentia ordinata, seu per infinitam ejus sapientiam & laudem providentiam regulata: quia cuilibet homini suae mentis componi, & diu in visis agentis, aliqua cognitio veritatis, praesertim Dei ut auctoris naturae, & primorum principiorum lyndereis, connaturalis est.

Respondeo secundo, dato Antecedente, negando Consequentiam: nam ea dona quae conveniunt plerisque hominum in cursu ordinario causarum naturalium, non sunt gratiae strictè sumptae, etsi aliquando contingat aliquem hominem illis carere: verbi gratia visus, auditus, locutio, & intelligentia ipsa, non sunt beneficia gratiae strictè sumptae, etsi aliquando contingat homines nasci caecos, surdos, mutos, imò & quosdam perpetuo amentes; sed haec, & alia id genus beneficia, ad dona creationis & conservationis, tanquam eorum corollaria & complementa, revocari debent. Idem cum proportionem de cognitione veritatum naturalium dicendum est.

Refelluntur alie sententia, & vera statuitur.

37 Deo secundo: Homo in statu naturæ lapsæ potest sine gratia, seu auxilio speciali, singulas veritates naturales, tam speculativas quam practicas cognoscere.

Hec assertio intelligenda est, non de quibuscumque hominibus, sed de illis dumtaxat qui ingenio possunt: nam aliqui sunt ad id inepti, ut neque propria inventionem, neque aliorum instructionem & disciplinam, possint acquirere notitiam cuiuscumque veritatis naturalis, etiam ex sensibus cognoscibilis; unde D. Thomas 1. contra Gent. c. 4. dicit aliquos ratione complexionis esse naturaliter indispósitos ad sciendum. Hoc præmissis,

38 Probat per primam: Singule veritates naturales sunt proportionate physice & moraliter cum intellectu hominis lapsi: Ergo potest illas absque speciali gratia cognoscere. Consequentia patet: nam specialis gratia solum est necessaria ad tollendam improportionem aliquam physicam aut moralem, ut ex dicendis constabit. Antecedens quoad primam partem est certum, cum veritates illæ contineantur intra lineam objecti sensibilis, quod est objectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu. Quoad secundam vero iudicatur: Impedimenta quæ improportionem moralem causant ad totam collectionem huiusmodi veritatum attingendam, sunt illarum multitudo, vitæ brevis, occupatio in somno, & ad res humanæ vitæ necessarias distractio, ut infra exponemus: At hæc respectu singularum non militat: cum tempus ad illarum quamlibet singularem cognoscendam requisitum, non ita longum sit, ut naturalem vitæ nostræ periodum excedat, & cum occupationibus huius vitæ non possit componi: Ergo veritates illæ nedum physice, sed etiam moraliter, cum intellectu hominis lapsi proportionatæ sunt.

39 Probat per secundam conclusio: Maxima & difficilissima veritatum naturalium cognitio est illa quæ habetur de Deo ex effectibus naturalibus, utpote quæ sit de objecto maxime immateriali, & a sensibus remoto: Sed sine auxilio gratiæ potest ex creaturis Divinitas cognosci ab homine in statu naturæ lapsæ; loquitur enim interdictum Scripturæ de cognitione illa tanquam de possibili homini lapsi: Juxta providentiam communem, siue mentione & respectu ad gratiam specialem, ut patet ex illo ad Roman. 1. Invisibilis Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & ex illo Sapient. 13. A magnitudine speciei & creatura cognoscitur potestatem horum creator videri: Ergo à fortiori quæcumque alia veritas naturalis illi inferior poterit sine auxilio gratiæ cognosci.

40 Quod diximus de veritatibus speculativis, proportionem servatam, dicendum est de practicis, cum objectum proportionatum intellectui humani sit omne verum naturale, ex sensibus cognoscibile, non tantum speculabile, sed etiam practicum; & aliunde nullum in natura lapsæ videatur esse impedimentum, quod veri practici cognitionem prohibeat: licet enim effrenitas concupiscentiæ, & rebellio passionum, aliquando non sinant intellectum se applicare ad ejus cognitionem; tamen cum motus illi non sint continui, nec semper & in omnibus occasionibus in appetitu inferiori excitentur, interdum id permittunt.

41 Pro maiori huius secundæ partis intelligentia & plurimum argumentorum solutione, diligenter,

Tomus IV.

A observandum est, veritates practicas esse in duplici differentia: quædam enim sunt quæ pertinent ad artes, & dirigunt affectionem; alia quæ dicuntur morales, quia actus humanos respiciunt; & istæ adhuc subdividuntur in eas quæ pertinent ad Philosophiam moralem, & vel sunt principia moralia, vel conclusiones ex illis deductæ, & in eas quæ spectant ad prudentiam, ut sunt illæ quæ ordinantur hic & nunc ad executionem. Quamvis ergo intellectus humanus possit cognoscere sine speciali gratia omnes veritates artificiales divise, & morales, quæ sunt principia vel conclusiones Philosophiæ morales, quia eadem est ratio de illis ac de speculativis; imò & aliquæ ex illis quæ immediate pertinent ad prudentiam; non potest tamen attingere, absque speciali auxilio, omne verum practicum ad prudentiam pertinens: cum enim homo in statu naturæ lapsæ, per peccatum originale à Deo ut sine naturali & supernaturali avertus sit, non potest sine speciali gratia formare hoc iudicium practicum & prudentiale: hic & nunc Deus est super omnia diligendus; cum quia tale iudicium dependet à rectitudine appetitus, tum etiam quia est semper conjunctum cum executione, & habet rationem imperii practici; in statu autem peccati homo non potest, sine auxilio speciali, Deum, & eius naturam, super omnia diligere, ut infra ostendetur.

C Dico tertio: Homo in statu naturæ lapsæ, totam collectionem veritatum speculativarum vel practicarum ordinis naturalis, sine gratia, seu auxilio speciali, attingere nequit.

Prima pars huius assertionis probatur primo ex 2. Thoma 4. contra Gentes cap. 52. ubi inter peccata spiritualia originalis culpæ ponit vulnus ignorantie in intellectu speculativo, his verbis: Inter spirituales peccata est debilitas rationis, & quæ contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multis obnubilatur ab eis. Quibus verbis primo constituit vulnus ignorantie in intellectu speculativo, & deinde in practico, quatenus non potest bestiales superare appetitus. Et supra quod 85. art. 3. ad calcem corporis articuli ait: Per peccatum ratio hebetatur precipue in agendo: ubi ly precipue, denotat rationem hebetari etiam in speculabilibus, licet minus principaliter. Unde hic artic. 2. ad 3. inquit: Magis natura humana corrupta est per peccatum, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri. Quibus locis in primis precipuum Cajetani fundamentum convellitur: ille enim idcirco asserere videtur, hominem in statu naturæ lapsæ posse sine gratia, seu auxilio speciali, omne verum speculabile, nedum divise, sed etiam collectivè attingere, quia existimat vulnus ignorantie ex peccato originali proveniens, esse tantum in intellectu practico, non autem speculativo. Deinde insinuat hæc ratio, quæ potest primo probari nostra conclusio: Potentia infirma & vulnerata non potest præstare totum id quod facere valet potentia sana & integra: Sed attingere omne verum speculabile nedum divise sed etiam collectivè est actus potentie intellectivæ sanæ & integræ: Ergo intellectus hominis lapsi, vulnere ignorantie affectus non potest, nisi sanetur per gratiam, totam collectionem veritatum speculativarum attingere.

Confirmatur: Voluntas propter vulnus malitiæ, non potest omnia præcepta legis naturæ collectivè sumpta adimplere, ut infra patebit.

E

Ergo

Ergo pariter intellectus, propter vulnus ignorantie, non poterit omne verum collectivè cognoscere.

43 Probat secundò eadem pars: Licet in homine lapsio sit potentia physica ad totam veritatem speculabilem ordinis naturalis collectionem, cum illa contineatur in linea entis sensibilis, seu cognoscibilis per species à sensibus acceptas, quod est objectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu; non tamen potentia moralis, absque speciali gratia: Ergo sine illa non potest talem collectionem attingere. Consequentia patet: nam ad agendum requiritur, non solum potentia physica, sed etiam moralis & expedita, seu ab omnibus impedimentis libera. Antecedens verò suaderur: quia in statu naturæ lapsæ potentia intellectiva hominis est pluribus impedimentis quasi ligata, ne possit in totum suum objectum collectivè sumptum sine errore & defectu prorumpere. Primum est brevitas vite; ad omnes enim veritates cognoscendas requiritur longissimum tempus; tum quia ferè sunt innumera; tum etiam quia homo non devenit in cognitionem veritatis ut plurimum, nisi medio difficili & longo discursu, studioque indefesso, maxime ubi veritates sunt occultæ & remotæ à principis. Secundum impedimentum est imperfectum ministerium sensuum; tum propter eorum gravitatem & tarditatem; tum propter organorum in quibus resident debilitatem, & maximam interitatis lapsum eorum actionibus spirituum animalium consumptionem. Tertium est indispositio corporis, quod studio & labore maximo debilitatur. Quartum, tarditas & pigritia ad discendi, & se applicandi ad studium. Quintum, rebellio & perturbatio passionum quæ ratione obnubilant, movendo ad alia, & minuant inclinationem ad studium & inquisitionem veritatum naturalium. Sextum est sollicitudo frequenter circa temporalia, & necessaria ad victum, quæ etiam minuit honoratum mentis, & tempus studio illi impendendum absumit.

44 Aliquæ ex his impedimentis Hypocrates Aphorismo 2. enumerat, dicens: *Arts longa, vita brevis, occasio preces, experimentum periculosum, iudicium difficile.* Ea etiam insinuari videntur illis verbis Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitationem.* Nam brevitas vite, & corporis indispositio, sensuumque hebetudo, significantur in corpore quod corrumpitur: tarditas & pigritia ad discendi difficultasque iudicii, in anima aggravata: occupatio in rebus externis & ad victum necessariis, in habitatione terrena: diversæ passionum motus animam perturbantes, in multa cogitatione sensus.

45 Tertio suaderur eadem pars: Id quod hætenus factum non est, merito iudicatur non posse fieri secundum naturam, quare Hieronymus dial. contra Pelag. ex eo probat non posse hominem propriis naturæ viribus absque peccato vivere, quia id nunquam absque gratia contingit: At nullus hætenus inventus est hominum, qui omnes scientias naturales speculativas acquisierit; quin imò quotquot existerent inter Philosophos veteres, in plerisque gravissimè errarunt: unde Aristoteles 1. physic. multos veterum errores notavit circa principia naturæ; & ipsemet æternitatem mundi asseruit, atque de immortalitate animæ valde anceps fuit: Pythagoras suam metempsychosin, sive animarum transmigrationem

A nem de uno corpore in aliud, pugnacissimè defendit; omnes denique pluralitatem Deorum invexere, licet rationi naturali contrariam; & hinc S. Thomas 1. p. qu. 1. art. primo. 2. 2. q. 2. art. 4. & 1. contra Gent. c. 4. infert necessariam esse fidem, ut homo citius & facilius multa cognoscat, quæ nullo modo, vel non nisi per longum tempus, & cum magna difficultate cognoscere posset: Ergo &c. Ex dictis probata manet secunda assertionis 46 pars, quæ est de veritatibus practicis: Tum quia D. Thomas, locis supra citatis, docet intellectum practicum per peccatum originale magis esse vulneratum, quam speculativum, subindeque minus potentem ad totam sui objecti collectionem attingendam: Tum etiam quia passionum motus inappetitu sensitivo frequenter insurgentes, magis impediunt veritatem iudicii practici quam speculativi: unde D. Thomas hic art. 9. dicit quod *Non possumus ad plenum scire quid nobis expediat, juxta illud Sapient. 9. Cogitationes mortalium timide, & incerta providentia nostra.* Adde quod, cum peccatum non sit in voluntate, nisi præcedat error practicus in intellectu, ut in Tractatu de peccatis ostendimus; sicut homo non potest in natura lapsa omne peccatum effugere sine speciali gratia, ut infra patebit; ita neque omnem errorem practicum, absque illa devitare, subindeque nec omnem verum practicum collectivè cognoscere.

S. V.

Præcipua Adversariorum argumenta solvuntur.

O Bjicies primò contra secundam assertionem: Voluntas hominis lapsi, quia per peccatum originale mansit vulnerata vulnere malitiæ, non potest absque speciali gratia omne opus moraliter bonum ordinis naturalis efficere, v.g. diligere Deum ut autorem naturæ, vel gravem superare tentationem, ut communiter Theologi docent: Ergo cum etiam intellectus ejus vulnere ignorantie sit latus non poterit similiter omnes veritates naturales sigillatim & divisim cognoscere, nisi gratia sanetur ac roboretur.

Respondeo concessio Antecedente, negando 48 Consequentiam & pariter: duplex enim est ratio discriminis. Prima est, quia licet intellectus speculativus per peccatum originale vulneratus sit, aliter tamen ac voluntas, seu intellectus practicus; nam quantum ad veritates speculativas ratio non est vulnerata in ipso lumine, & in principis quibus movetur ad cognoscendum, sed solum in extrinsecis quæ intellectui deserviunt, puta quia sensus externi & interni fuerunt debilitati, vita abbreviata, & plures necessitates ad illam conservandam contraximus; voluntas autem vulnerata est intrinsicè, & in principio quo movetur ad operandum, scilicet in fine à quo omnis ejus motio incipit, nam per peccatum originale ab ultimo fine averfa est. Idem dicendum de intellectu practico: quia ille non solum est cognoscens, sed etiam efficiens & movens; unde non solum habet pro principis ea quæ pertinent ad bene cognoscendum, sed etiam id quod requiritur ad movendum & exercendum, nimirum intentionem finis.

Secunda ratio discriminis est, quia ad voluntatem non solum pertinet velle intra se, sed etiam operari & movere reliquas potentias, easque subicere rationi; in quo magnam resistantiam & difficultatē patitur ex parte appetitus inferioris, ad bonum sensibile propensum: at cognitio purè speculativa intra intellectum contumitur, nec ad alias potentias movendas extenditur; & licet minister-

ministerium sensuum indigeat, tamen potius iuvatur ad acquisitionem specierum, quam à veritatis contemplatione impediatur; & sic quamvis sit aliquis actus virtutis, qui ob sui intrinsicam difficultatem vires superet voluntatis infirmæ, ut actus efficax dilectionis Dei, qui movet per modum intentionis ad totius legis impletionem: nulla tamen est veritas naturalis, quæ tot impedimenta habeat, ut cum solo concursu generali vinci non possit.

49 **Obijcies secundo:** Veritates Theologicæ habentur per naturalem discursum, & tamen nequit intellectus humanus illis absque speciali gratia assensum præbere, propter dependentiam quam habent ad articulos fidei ut à principiis: Ergo non omne quod naturali lumine potest attingi, valet intellectus humanus absque speciali gratia cognoscere.

50 **Respondeo** quod in assensu Theologico sunt duo, scilicet bonitas consequentia, & veritas ex principiis fidei illata. Quantum ad bonitatem consequentiam, patet eam non indigere speciali gratia ut intelligatur, cum illa sit ejusdem rationis in Theologia ac in aliis sciètiis, nec principiis fidei, sed arti Dialecticæ innitatur. Quantum ad veritatem illatam, vel est certa & demonstrata, vel solum probabiliter de ducta si solum probabiliter inferatur, non indiget intellectu ad illius assensum speciali gratia illustratione, quia non habet tibi fides specialem influxum certitudinis, cum opinativo assensui possit subesse falsum: si autem colligatur demonstrativè ex principiis cognitis per fidem, indiget quidè speciali gratiâ præsuppositivè, scilicet gratiâ fidei, quæ intellectus assensui principis, non autem speciali gratia distincta, quia assensus Theologicus non est formaliter & essentialitè supernaturalis, sed radicaliter tantum & initialitè ut docuimus r. p. in disputatione præcedenti ad universam Theologiam.

51 **Obijcies tertio:** Multoties dæmon homines gravi pulsant tentatione, ut eos à veritatum naturalium studio & contemplatione divertat: Ergo tunc saltem speciali gratia indigent, ut dæmonis astutia neglecta, veritatis cognitioni incumbant.

52 **Respondeo** concessio Antecedente, distinguendo Consequens: indigent speciali gratia roborante voluntatem, ut dæmonis insidias superent, & intellectum à studio veritatis non distrahat, concedo Consequentiam: roborante intellectum, ut veritatis studio applicatus, illius cognitionem obineat, nego Consequentiam. Nostra ergo conclusio non procedit de difficultatibus quas voluntas pati potest erga studium veritatis, sicut erga alia opera virtutis, sed de cognitione veritatis secundum se, & de difficultatibus eam concomitantibus; dicimulque, nullam esse tantam, quam intellectus hominis lapsi, saltem ubi invenitur cum perfectione sibi debita, ex propriis viribus superare non valeat.

S. VI.

Diluvitur obijctiones quæ contra tertiam assertionem fieri solent.

53 **Contra tertiam conclusionem** in primis obijci potest ex Cajetano: Vulner ignorantie ex peccato originali proveniens, non afficit intellectum speculativum, sed duntaxat practicum: Ergo homo in statu naturæ lapsæ potest absque auxilio gratiæ, omnes veritates speculativas collectivè tam præ cognoscere. Consequentia patet ex suprà dictis: Antecedens probatur ex D. Thoma supra quæst. 3. ubi assignando potentias, quæ

Tom. I.

per peccatum vulneratæ remanserunt, asserit: nam ex illis esse rationem in qua est prudentia, id est (ut interpretatur Cajetanus) rationem prout subest prudentiæ. Sed ratio prout subest prudentiæ est practica, & non speculativa: Ergo ex D. Thoma solus intellectus practicus per peccatum originale vulneratus est.

54 **Respondeo** negando Antecedens: ad ejus probationem dico, glossam illam Cajetani non esse bonam, nec textui consonam: nam S. Doctor ibidem ait vulneratam fuisse voluntatem in qua est iustitia, & tamen ex hoc inferre non licet, voluntatem solum excepisse vulnus malitiæ, prout iustitiæ subest: nam verba illa non faciunt sensum reduplicativum, sed speculativum. Cum ergo dicit vulneratam esse rationem in qua est prudentia, solum vult, rationem practicam, in qua residet prudentia, præcipue vulneratam fuisse, ut expressè tradit ad finem corporis ejusdem articuli, verbis illis suprà relatis: *Per peccatum ratio habetur, præcipue in agendo.*

55 **Obijcies secundo:** Si homo ex propriis viribus, cum generali concursu, non posset totam collectionem veritatum naturalium attingere, natura humana esset imperfectior aliis, cum illæ ex se habeant vim sufficientem ad omnem operationem sibi connaturalem, non solum divisivè, sed etiam collectivè: At hoc videtur absurdum: Ergo & illud.

56 **Respondeo** negando sequentiam: quia per hoc solum quod natura humana possit in aliquo actus sibi proportionatos, perfectior est aliis, quæ ex se valent totam suorum actuum collectionem attingere: unus enim actus intellectualis naturæ perfectior est totâ collectione actuum aliis naturis convenientium.

57 **Dices**, ex hac responsione & doctrina sequi, quod natura humana esset perfectior aliis naturis, quamvis ex viribus propriis nulla actum sibi connaturalem posset elicere: Sed hoc non est dicendum; aliâ non valeret ratio quæ D. Thomas in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 5. probat naturaliter intellectum agentem facere speciem intelligibilem in actu, quia si non esset sufficiens ad hoc, natura humana aliis imperfectior esset, cum aliæ in operationibus naturalibus sibi sufficiant: Ergo &c. Sequela præstat: nam licet natura humana ex propriis viribus nullum actum sibi connaturalem posset elicere, per gratiam posset ad actus sibi proprios, aliis perfectiores elevari.

58 **Respondeo** negando sequentem: quia si natura humana nullum actum elicere posset ex propriis, nulla activitate intra limites naturæ gauderet, & sic in isto ordine, sub conceptu naturæ, imperfectior esset cæteris; perfectio enim alicujus naturæ, intra ordinem naturalem, non debet metiri per id quod potest per gratiam, sed per id quod potest ex propriis.

59 **Obijcies tertio:** Qualibet creatura potest cum solo concursu generali exire in actum suæ formæ sive virtuti naturali proportionatum, ut docet D. Thomas hic art. 1. Sed cognoscere collectivè omnes veritates naturales, tam speculativas quam practicas, est actus proportionatus lumini naturali intellectus nostri, etiam in natura lapsa considerati; cum ille habeat pro objecto proportionato, etiam in illo statu, ens sensibile, seu cognoscibile per species à sensibus ministratas, sub quo omnes veritates naturales, tam speculativas, quam practicas, continentur, cum per veritates naturales eas tantum intelligamus, quæ ex sensibili-

E 2

sensibilibus cognosci possunt, ut supra §. i. notabili i. observavimus: Ergo &c.

Respondeo primo, distinguendo Majorem: Quilibet creatura potest cum solo concursu generali exire in actum suae virtuti naturali proportionatum, si non impediatur ab extrinseco à tali actu, concedo Majorem: si impediatur, nego Majorem: in statu autem naturae lapsum plura sunt impedimenta extrinseca supra adducta, quibus potentia cognoscitiva ligetur, ne exeat in actum suae virtuti proportionatum.

Respondeo secundo (& haec solutio continetur cum precedenti) distinguendo Majorem: in actum suae virtuti proportionatum, proportionem tam physicam quam moralem, concedo Majorem: proportionem tantum physicam, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: cognoscere collectivè omnes veritates, est actus proportionatus luminis naturali intellectus nostrae etiam in statu naturae lapsum, proportionem physicam, concedo Minorem: proportionem moralem, nego Minorem: cum enim proportio dicat exclusionem omnium impedimentorum, non convenit homini in statu naturae lapsum, in quo potentia ejus intellectiva pluribus impedimentis quasi ligatur, ne possit totum suum objectum collectivè sumptum attingere.

Objicies quartò: Appetitus innatus quo homo naturaliter scire desiderat, non est ad unam vel alteram veritatem, sed ad omnes simul: Atque appetitus naturalis innatus non potest ad impossibile per vires naturae terminari, alias esset vanus & frustraneus: Ergo impossibile non est, quod homo per vires naturae omnes simul veritates naturales cognoscat.

Respondeo negando Majorem: intellectus enim non habet appetitum innatum cognoscendi simul, sed seorsim & successivè, veritates naturales: sicut materia prima non appetit simul omnes formas, sed successivè & divisim, ita quod appetitus ejus nunquam sit in satiatio esse, sed continuo in satiari.

Addo quòd, ut appetitus innatus, quo homo omne verum ordinis naturalis cognoscere desiderat, non sit frustra, sufficit quod de se, sive ab intrinseco, habeat vim sufficientem ad omnes veritates naturales collectivè cognoscendas, quamvis per accidens talis virtus ab extrinseco sit ligata, & impediatur ne totam illam veritatum naturalium collectionem attingat, ex defectu aliorum quae cum intellectu ad eam attingendam debent suo modo concurrere.

Objicies quintò: Veritates naturales sunt sub certo numero, non enim sunt infinitae: ponamus ergo quod sint decem, & quod intellectus cognoverit novem, statim poterit cognoscere decimam, quia potest cognoscere quamlibet seorsim & divisivè: Ergo si potest cognoscere omnes divisivè, potest & collectivè: praesertim cum à singulis enumeratis ad omnia simul ascendendo valeat consequentia, verbi gratia hic homo est albus, ille homo est albus, & sic discurrendo per singulos; ergo omnis homo est albus, vel omnes homines collectivè sunt albi; alias inductio non esset bonus argumentandi modus.

Respondeo primo, negando quod intellectus possit omnes veritates naturales, usque ad decimam exclusivè cognoscere: nam cum dicitur cum non posse cognoscere omnes collectivè, sed in aliquibus debere deficere, non est sensus quod sit aliqua determinatè, in qua debeat deficere,

A sed quilibet indeterminatè est talis, & sic nunquam verificari potest, quod deveniatur ad aliquam determinatè in qua necessario debeat deficere: sicut cum dicitur oculum esse necessarium ad videndum, non est sensus, quod dexter vel sinister determinatè sit necessarius, sed unus oculum, quicumque ille sit.

Respondeo secundo: quod si ita deveniretur ad ultimam veritatem exclusivè totius collectionis, in illa deficeret intellectus, quia licet respectu illius absolutè & seorsim sumpta habeat potentiam omnino completam, & expeditam, sed tamen si sumatur ut aliis conjuncta, & ut terminans praedictam collectionem: quia cum ad ipsam deveniretur, debilitata essent organa sensuum, fatigatum esset corpus, perturbata foret sanitas, & imminens vita exitus, & sic deberet intellectus in ea deficere: sicut infirmus deambulando ita fatigatur, ut post quinquaginta passus v. g. alium non possit conficere.

Nec valet, si dicas, intellectum fieri potentior, rem ad cognoscendum, quo plura cognoscit, cum non sit potentia organica, nec prout defatigabilis. Non valet, inquam, quia licet in seipso fiat potentior, in se tamen adjunctis & subservientibus, puta sensibus corporeis, debilitatur & fatigatur.

C Ad illud verò quod subjungitur de modo arguendi, à singulis enumeratis ad omnia simul ascendendo, dicendum est, inductionem esse optimam argumentandi modum, quando consequens eodem modo sumitur ac antecedens; secus verò si sumatur alio modo: verbi gratia si dicatur, hic equus separatus ab alio, non potest trahere currum, nec ille: ergo nec omnes equi simul & collectivè sumpti: non valeret discursus, quia procederet à sensu divisivo ad compositum, seu à divisivo ad collectivum. Ita similiter, quamvis haec argumentatio sit bona: potest intellectus hanc, & illam, & istam veritatem, enumerando omnes divisivè, cognoscere: ergo & omnes similiter divisivè; ista tamen non valet intellectus potest hanc, & illam, & istam veritatem cognoscere divisivè: ergo & omnes copulativè, quia idem committitur defectus, & arguitur à divisivo ad compositum, seu à sensu divisivo ad collectivum. Qui modus arguendi non valet, ut experientia ipsa constat. Nulla quippe sagitta erat in fasciculo seu pharetra Scylluri, quam facile non possent ejus filii frangere, omnes tamen simul junctas & colligatas, nunquam, urgente Patre, poterunt frangere. Et multi docent, nullum esse praeceptum Decalogi distributivè sumptum, quod non possit homo viribus naturae servare, cum tamen omnia collectivè absque gratia servare non possit. Item infra dicemus, nullum esse peccatum veniale quod non possit homo per auxilium gratiae generale vitare; omnia tamen simul & collectivè sumpta, absque auxilio gratiae specialiter vitare non posse.

§. VII.

Corollaria notata digna,

E X dictis inferes primo, hominem in pura natura conditum, non habiturum potentiam expeditam moraliter ad attingendam totam veritatum naturalium collectionem: quia eadem essent impedimenta respectu hominis puram naturam obtinentis, ac hominis lapsi scilicet vitae brevitas, ad res humanas vitae necessarias distractio, aggravatio animi à corpore &c. Ergo & eadem impotentia moralis à attingendam totius veri naturalis collectionem.

Inferes

69 Inferes secundò, nec in statu naturæ lapsæ, per gratiam sanctificantem gaudere hominem potentia expedita moraliter ad prædictam veritatem naturalium collectionem attingendam, quia gratia sanctificans prædicta impedimenta non tollit, nec proinde moralem impotentiam ex illis provenientem. Quamvis, cæteris paribus, homines iustas, & in amicitia Dei existens, promptior sit meliusque dispositus ad veri contemplationem, quam existens in peccato mortali, & vitiis ac voluptatibus deditus; quia peccata & vitia, præsertim carnalia, mentem hebetant & excorant, juxta illud Sophoniæ 1. *Ambulabunt ut cæci*, quia Dominus peccaverunt. Hinc peccatum à SS. Patribus comparatur stercorei hircundinis, quod cecidens in oculos Tobie, ipsum excæcavit. Item in hujus rei typum, Samson à Dalila deceptus, & à voluptate devictus, oculos amisit, & postea à Philistæis ad molam deputatus est: Quia (ut inquit Gregorius) prius Dæmones tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, & postea foras in circumum laborum mittunt.

70 Notandum obiter, quod in Scriptura tribus modis cæci dicuntur illuminari: nimirum luto, quo Christus linitur oculos cæci nati, Joan. 9. felle piscis, quo Tobias unxit oculos patris cæci Tobie 11. & melle quod Jonatas accipiens in somnitate virgæ degustavit 1. Reg. 14. ut per hoc innueretur, homines per etiam præcipue mysteria illuminari, & a peccatorum tenebris purgari. Primum per mysterium Incarnationis, quod (ut docet Augustinus) luto illo, quod Christus ex saliva & terra confecit, fuit expellum: Magnum (inquit) mysterium Dominus commendavit: expuit in terram, de saliva saluatum fecit, quia Verbum caro factum est, & unxit oculos cæci. Hinc etiam Gregorius Magnus homil. 11. in Evang. observat, quod dum Redemptor noster appropinquaret Jericho, cecus ad lumen rediit: quia dum Divinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen quod amiserat, recepit; unde etiam Deus humana patitur, inde homo ad Divinam sublevar.

71 Secundò cæci per mysterium crucis & passionis Christi (per illud fel quo Tobias oculos patris unxit figuratum) illuminantur, ut patet in Centurione, & Dionysio, qui iisdem quibus totus mundus, Christo moriente, obcuratus est tenebris, illuminati sunt, & Dei Filium in carne patientem & mortem agnoverunt; unde Prophetæ Psal. 138. *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*, quia Deus, qui de tenebris dixit lucem splendescere, non minus crucis & passionis suæ tenebris, quam gloriæ suæ radiis & splendoribus, mundum illuminavit. Quare Chrysostomus Christi crucem, mundi lampadem, appellat, & Basilii Seleucus homil. de transg. docet quod Christo moriente & in cruce pendente, Sol ferre non valens crucis splendorem, lucis suæ radios abscondit: Vidit (inquit) Sol quæ prius non dicebat, ut qui doctus sit abscondi, alterius luminis illustratione.

72 Tercio per mysterium Eucharistiæ (melle illo quod Jonatas degustavit, expressum) homines illuminantur. Unde de Discipulis euntibus in Emmaus ait Evangelista: *Aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt Dominum in fractione panis*. Hinc Chrysostomus homil. 45. in Joan. Eucharistiam, fontem luminis vocat: & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Theoria, vas in quo Christi corpus asservatur, arcam luminum appellat.

A Inferes tertio, quod etiam in statu naturæ integræ non potuisset homo, absque speciali auxilio, omnes veritates speculativas colligere & agnoscere, nec etiam practicas quæ ad Philosophiam moralem pertinent, bene tamen eas quæ spectant ad prudentiam, & ordinantur ad operis executionem.

Prima pars hujus corollarii patet: nam licet in statu naturæ integræ non esset rebellio appetitus sensitivi, nec motus inordinati passionum, fuissent tamen plura alia impedimenta ex suprâ enumeratis, puta brevitæ vitæ, infirmitas corporis, ad res humanas vitæ necessarias distractio; cum in eo statu homo nec fuisset immortalis, nec liber à morbis, & curis ac sollicitudinibus circa necessaria ad vitæ conservationem, sicut in statu innocentie, seu iustitiæ originis.

B Secunda etiam pars constat: nam de veritatibus practicis, quæ ad Philosophiam moralem spectant, eadem est ratio ac de speculativis, ut suprâ annotavimus.

Tertia vero suadet: Tota difficultas quæ reperitur in ferendo judicio de veritatibus practicis ad prudentiam pertinentibus, provenit ex rebellionem concupiscentiæ, & motibus inordinatis passionum, vel ex eo quod appetitus non sit recte deponens circa finem ultimum: Sed in statu naturæ integræ, nulla fuisset rebellio concupiscentiæ, nec ulli motus inordinati passionum; & appetitus esset bene dispositus, utpote cum inferiori superiori, & superiori esset subiectus Deo: Ergo nullum fuisset impedimentum in ferendo judicio prudentiali de agendis hic & nunc.

74 Inferes quarto, quod licet homines in statu innocentie possent plurimam scientiam consequi, & facilius, ac breviori tempore, quam in natura lapsæ, vel integræ, non tamen omnium colligere.

Prima pars hujus corollarii patet, quia per privilegia status innocentie, multa & magna impedimenta sublata fuissent, quæ in statu naturæ lapsæ & integræ reperiuntur, puta aggravatio spiritus à corpore, corpus enim in statu innocentie fuisset perfecte animæ subiectum, vitæ brevitæ, quia tunc vitæ esset longior, cum homines, egendo de ligno vitæ, eam per multa secula protrahere potuissent, &c.

D Secunda vero suadet: nam licet Adamus in statu innocentie rerum naturalium scientiam à Deo infusam habuerit, ut in Tractatu de statibus naturæ humanæ ostendimus, illius tamen posterius, si status innocentie perseverasset, eam infusam non accepissent, sed ministerio sensu & naturali discursu sibi comparassent, ut tradit Thomas 1. p. qu. 109. art. 1. Cum autem veritates naturales sint fere infinitæ, vitæ illius status, licet longa, terminum haberet, quo elapso homines in cælum transferendi essent, ut communiter docent Theologi, non esset possibile omnium hujusmodi veritatum occursus, aut illarum species abstrahi possent: Ergo omnibus pensatis, tam ex parte objecti, quam ex parte intellectus, non esset in statu innocentie potentia expedita moraliter, ad attingendam totius veri naturalis collectionem. Unde sicut in Angelis sanctis, licet nulla sit ignorantia, est tamen nescientia respectu aliquorum, ut docet Dionysius c. 7. cælestis hierarchie, ita etiam in homine nato in statu iustitiæ.

originalis fuisset nescientia aliquarum veritatum A
naturalium, quæ ad ejus statum non pertine-
rent: habuisset tamen scientiam omnium quæ
debebat scire, seu quæ ad ipsius statum pertine-
bant. Et de hac solum loquitur S. Thomas qu. 18.
de verit. art. 7. in corp. cum dicit: Non oportuit fi-
lios ad mortem natos omnium scientiam habuisse, sed ad
eam tempore proficiscentes pervenissent; non verò de sci-
entia rerum omnium naturalium absolute: hæc
enim, cum ex parte objecti sit fere infinita, sen-
sum & naturalis discursus ministerio non po-
test perfecte acquiri, sed solum a Deo per specie-
rum infusionem haberi; quo pacto Ad. mo in
primò instanti creationis collatus fuit. Ex quo

75 Inferes quod, quod gratia desiderata ad to-
tam naturalium veritatum collectionem attingen-
dam, non est, nec dici debet supernaturalis
quoad substantiam, bene tamen quoad modum.

Prima pars patet: Primò, quia collectio veri-
tatum ordinis naturæ, non est supernaturalis quo-
ad substantiam: Ergo ut cog. oseretur, non requi-
rit ex parte principii cognoscentis gratiam enti-
tative supernaturalem; namd. nec id quod exi-
git pro principio formam supernaturalem, est
entitatively supernaturalis. Secundò, quia per hoc
quod Deus infundat homini species omnium res-
rum naturalium, & potest ad illarum cogniti-
onem: At species sic infusa, non iussu supernatura-
les quoad substantiam, utpote ejusdem rationis
cum speciebus acquisitis à nobis, unde D. Tho-
mas 1. p. q. 94. art. 3. id. dicit, quod Primus ho-
mo habuit scientiam omnium per species à Deo infusas,
nec tamen scientia illa fuit aliter rationis & scientia no-
stra, sicut nec oculi, quos cecò nato Christus dedit, fuerunt
alterius rationis ab oculis quos natura produxit: Ergo
gratia desiderata ad totam veritatum naturalium
collectionem attingendam, non debet dici su-
pernaturalis quoad substantiam.

Secunda etiam pars non minus est evidens:
Idem dicitur supernaturalis quoad modum,
cujus entitas non transcendit ordinem naturæ,
modus tamen quo habetur, illius facultatem ex-
cedit; unde vultis cecò nato restitutus à Christo,
fuit supernaturalis quoad modum quo habitus
est: At gratia desiderata ad totam naturalium ve-
ritatum collectionem attingendam, non exce-
dit quoad entitatem facultatem humanæ natu-
ræ, ut jam ostendimus, excedit tamen illius fa-
cultatem quoad modum quo habetur, cum spe-
cies ad hoc requiratur à Deo infundi, &
non possint nisi longissimo tempore, sensum
ministerio acquiri, atque ab intellectu agente à
phantasmatibus abstrahi & depurari: Ergo talis
gratia supernaturalis quoad modum dici debet.

ARTICULUS II.

An, & quæ gratia, ad cognoscendas veritates
supernaturales, seu ad assentiendum my-
steriis fidei, necessaria sit?

Icèr hujus difficultatis resolutio directè per-
tinet ad Tractatum de fide, tamen quia D.
Thomas hic art. 1. de illa agit, asserens ad cogno-
scendas veritates supernaturales indigere homi-
nem illustratione gratiæ, idè ab aliquibus hic
pertractatur, & nos breviter illam attingemus.
Unde sic

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

Suppono primò, veritatem aliquam tripliciter
dici posse supernaturalem: Primò ex parte ob-
jecti tantum, non verò ex parte rationis sub qua
attigitur, ut contingit quædam hæretici fide hu-
manâ, vel sua voluntate, aliter veritatem super-natu-
rali, v.g. mysterio Trinitatis, vel Incarnationis,
præbet assensum; licet enim tunc objectum hu-
jus veritatis sit supernaturalis, motum tamen,
seu ratio formalis sub qua illi assentiuntur, est purè
naturalis, quia non ei assentiuntur propter moti-
vum divinæ revelationis (aliis omnia alia my-
steria à Deo revelata hanciter crederet) sed pro-
pter aliquod aliud motivum, seu rationem hu-
manam, cui potest subesse falsum. Secundo ve-
ritas aliqua potest esse supernaturalis solum ex
parte rationis sub qua, seu motivi assentiendi,
non verò ex parte objecti crediti, ut quando a-
liquod naturale creditur ex divina revelatione, v.
g. dum credimus Abraham habuisse duos filios,
hoc enim naturale est, sed attingitur per lumen
divinæ revelationis in Scriptura contentæ. Ter-
tiò potest contingere ut veritas sit supernatura-
lis utroque modo, ita ut objectum cogni-
tum, & ratio sub qua cognoscitur & creditur,
supernaturalia sint, ut dum credimus Deum esse
eternum & unum.

Suppono secundò, ad veritates supernatura-
les cognoscendas duo requiri, unum ex parte ob-
jecti, scilicet quod proponatur seu reveletur; al-
terum ex parte intellectus, scilicet assensum
circa tales veritates: unde ex parte utriusque po-
test esse difficultas, an scilicet requiratur gratia
supernaturalis tam ad proponendum objectum
quàm ad assentiendum rebus fidei. Verum quia
de primo nunquam fuit disceptatio in Ecclesia
(Pelagius enim gratiam illam externam, se te-
nentem ex parte objecti, non negavit in secun-
do statu suæ hæresis, sed tantum internam, seu
lumen se tenens ex parte potentiz, ab externa
revelatione distinctam, ut in Tractatu de hæresi
Pelagiana ostensum est) idè de altero tantum
hic agemus, & an requiratur gratia aliqua inter-
na, tam ex parte intellectus quàm ex parte vo-
luntatis, ad assentiendum mysteriis fidei, brevi-
ter hic discutiemus.

Dico ergo primò: Esti veritas sit supernatura-
lis ex parte objecti cogniti, si tamen ratio sub
qua, seu motivum assentiendi, sit naturale, potest
viri-bus naturæ attingi, suppositâ revelatione &
promulgatione Evangelii.

Pater hæc conclusio: Objectum enim super-
naturale, prout subest rationi sub qua naturali,
non est formaliter supernaturale, sed duntaxat
materialiter, cum objectum constituitur forma-
liter in esse objecti, per rationem formalem sub
qua attingitur, & cui subijcitur: Ergo suppositâ
revelatione, seu manifestatione, potest viri-
bus naturæ attingi. Unde hæretici fide humanâ
& naturali assentiuntur quibusdam mysteriis su-
pernaturalibus in Scriptura revelatis, quia ea
non attingunt sub lumine divinæ revelationis,
sed sub aliquo motivo naturali, quo ad creden-
dum moventur, eaque credunt, quia proprio suo
judicio putant hæc & non alia sibi esse creden-
da; & licet aliquando ea credant firmissimè, non
tamen firmitate ortâ ex certitudine fidei, sed ex
pernacia superbia.

Dico